

Fricke:  
De deri=  
co fide=  
jussore.





37  
DE  
**CLERICO FIDEIVSSORE** 565  
MELETEMA

---

ILLVSTRI GENEROSISSIMO  
CONSVLTISSIMO  
**CAROLO HENRICO**  
DE BERNSTORFF  
EQVITI MEGAPOLITANO

QVVM  
DIGNITATEM CONSILIARI IN REGIMINE  
PRINCIPATVS BLANCKENBURGICÆ

CAPESSERET

PIETATIS OBSERVANTIAE QVE CAVSSA  
DEDICATVM


Hd 1070

A

D. ALB. PHILIPPO FRICKIO  
FACVLT. IVRID. HELMST. ADIVNCTO

HELMSTADII  
LITTERIS DRIMBORNIANIS  
MDCCCLX.





OITACIGEG  
ILLVSTRI GENEROSISSIMO  
CONSVLTISSIMO  
**CAROLO HENRICO**  
**DE BERNSTORFF**  
EQVITI MEGAPOLITANO  
SERENISSIMI DVCIS BRVNNSV. LVNAEBVRG.  
CONSILIARIO IN REGIMINE  
PRINCIPATVS BLANCKENBVRGICI  
SOCIETATIS TEVTONICAE DVC. HELMSTAD.  
SODALI HONORARIO  
**PATRONO SVO**  
SANCTA MENTIS PIETATE  
OBSERVANDO  
FELICITATEM PERPETVAM.  
**ALB. PHILIPPVS FRICKIVS D.**

## DEDICATIO

Qui vero Martis nil nisi caedem et exitium mimitantis signa se-  
quuntur, ac pro patriae libertate sanguinem effundere, vo-  
care hostes, vulnera mereri amant, ii toties summis ince-  
dunt laetitiis, quoties quemdam e suo commilitio ob virtutem,  
et, quae nulla temporum diuturnitate marcescent, palmas victo-  
riae consequatas euocari, ac gradus ampliores, quin et ipsa im-  
peria militaria consequi vident. Idem paene contigit mibi,  
VIR ILLVSTRIS, dum ultimam adolescentiae meae non in ir-  
requietis, sed in pacatissimis Mineruae castris traductae memo-  
riam recordor, et eorum nomina lustro, qui tum una rudimen-  
ta militiae togatae posuerunt, sed qui iamiam ob facta oppido  
praeclara ita sunt in collegia splendida cooptati, ut eis summi  
Principes amplissimas dignitates non quasi optatas concessisse,  
sed quasi debitas persoluisse videantur. Atque vt, quod sen-  
tio, ingenue fatear, tantam capio voluptatem, vt maior ne-  
fingi quidem possit, si eiuscmodi recensum agens, TE, VIR  
GENEROSISSIME, inter eos inuenio, TIBIQUE munus tot  
TVIS laboribus, tot curis, tot vigiliis dignissimum diuino  
munere obtigisse laetus video. Quum TIBI enim nasci conti-  
gerit e BERNSTORFFIA, id est, ea gente, in qua multis inde  
a seculis semper verus honor et splendor virtutis enituit: TV,  
DOMINE, BONORVM ERVDITISSIME, MAIORVM, quo-  
rum nomina nulla dies extinguet, nulla obscurabit obliuio, in-  
cluta virtute excitatus vitam vel a teneris sic conformare didi-  
cisti, vt TE tot illustrium heroum felicissimam progeniem ad-  
mirarentur omnes, atque adeo tum quoque singuli considerent,  
futurum esse, vt, quod factum iam summo cum gaudio vide-  
mus, nouum in TVAM familiam decus inferas, antiqua re-  
noues, praeclararumque consuetudinem retineas in TVA domo  
laudis expetendae, exercendarumque artium optimarum. Cae-  
terum ne quis fortunae plusculum fortasse tribuat, quam fas sit,  
quid

## DEDICATIO

quid eximius et ingens ille ardor, quo TV et ea adhuc aetate, qua  
lateri TWO adhaerere mibi contigit, in earum doctrinarum studia  
incubuisti, quae se absint ab hominum vita, simul absit omnis  
humanitas, neque satis diu, quae merces virtutis est, recte facto-  
rum memoria conservetur? quid diligentia illa prorsus singularis,  
quum TIBI felicissimo connubio vetera cum nouis coniungenti,  
solidam et notionum et doctrinarum philosophicarum cognitio-  
nem nunc propinarent, nunc vero per vniuersae historiae campos  
et amoena vireta ducerent viri excellentis doctrinae et famae?  
quid assiduitas illa egregia, qua in hac bonarum mentium offi-  
cina cupidissime arripiuisti Iurisprudentiae nostrae principia? nisi  
vt TE totum rei publicae idoneum olim efficeres, et iustitiae sacer-  
dotem exhiberes. Sed quis testimonium requirat meum, quum  
bonus quisque profiteatur, TE iuris tam publici, quam priuati co-  
gnitionem non proletariam, sed summam et TE IPSO dignam  
esse consequutum. Inde etiam, ni omnia me fallunt, factum,  
vt TV, PATRONE aeternum colende, TVA erga DEVUM  
pietate, prudentia, acuitate, benignitate, facilitate, et sin-  
gulari humanitate non modo venerabilis, sed etiam omnibus,  
summis atque insimis, sis amabilis, vt sapientia, altitudine  
animi TVI, et illa nota expertaque fide, sinceritate TVA et in-  
seruendi studio laudem atque amorem quorunuis promerueris,  
vt etiam maximam adeptus sis et virtutis et probitatis opinio-  
nem. Inde etiam, ad quem TVA doctrina quasi viam muniit  
aditumque patefecit, nouis haud ita pridem TIBI aperieba-  
tur campus, in quo TVA virtus bene agendi consuetudine con-  
firmata excurrat. Ornaris igitur honore, quem, futurum esse,  
nullus dubitat, vt TV ornes eximia TVA gloria bono publico  
coniuncta. Excitatur hac splendida TVA dignitate non solum  
illustris familiae TVAE, sed et bonorum omnium pietas, et  
iidem gratulantur TIBI de isto, quo TE extulit SERENISSI-

## DEDICATIO

MI ET CELSISSIMI CAROLI, DVCIS BRVNÖVICENSIVM CLEMENTISSIMI indulgentia, honoris gradu amplissimo. Ad aram Dei Seruatoris vota cum gaudio nuncupant pro TVAE salutis incolumitate perenni, et, quae Romulidae genti in faustis acclamationibus familiaris vox erat, iam vndeque personat feliciter. Ego vero, quem semper tanta amplecti dignatus es beniuolentia, quanta esse soleat, quum summa est, inter tot faustas acclamations omnium minime me contine potui, quin in societatem lactitiae venirem, pietatis meae TIBI plane deuotae documentum aliquod extare cuperem, et, quod TIBI, VIR ILLVSTRIS ET GENEROSISSIME iam offero, pignus venerationis, qua TE persequor, incorruptae traderem. At quum hae, quibus circumscriptus eram, temporis angustiae aequa summa animi mei aegritudo probibebrent, quo minus id afferre possem politum, limatumque industria; quumque adeo hos ingenii fructus, quum bene maturi sint, condere potius, ut domesticos intra parietes afferuare, quam in publicum afferre, et communicare cum omnibus deberem: summa animi obseruantia expeto, ut munuscum bocce chartaceum non ipsius opusculi pretio, sed pietate offerentis metiaris. Neque adeo restare quidquam puto, quam ut egomet bonarum omnium, hoc est, TVARVM virtutum admirator, DEVVM immortalem precer, ut TE, VIR ILLVSTRIS, totius Principatus Blanckenburgici bono saluum, atque omni genere prosperitatis cumulatum florere iubeat, ac non nisi annis grauem superas ad sedes transferat. Caeterum etsi mei commodi, atque etiam honoris ratio postulare videatur, ut in TVA beniuolentia et fauore mibi expetendo pluribus verbis vter: tam id non faciam, ne maiorem desiderii mei, quam humanitatis TVAE rationem videar habuisse.

DE

DE CLERICO FIDEIVSSORE

MELETAMA.

§. I.  
INSTITVTI RATIO.

**S**i quid; hoc certe cum iudicio facio, quod, ele-  
ganter MARCVM TULLIVM a) dixisse, profitear,  
quum PLANCIVM, ambitus reum, vere, et sine  
omni indignitatis nota, gratiosum fuisse, contende-  
ret, quod is nempe multis benigne fecerit, PRO MUL-  
TIS SPOONDERIT, in operas plurimos patris auctori-  
tate & gratia miserit, quod denique omnibus officiis per se,  
per patrem, per maiores suos totam Attinatem praefectu-  
ram comprehendenterit. Evidem hoc gratiae dicam an be-  
nignitatis genere? quo opibus destitutos, auctoritate  
nostra, et verbis, subleuare studemus, supersedere facile  
possent mortales, modo singulis opem praestarent, his  
praesertim, qui indigere ea praeter caeteros, aut oppor-  
tuni esse iniuriae videntur. At quicunque nouerunt,  
(norunt autem id omnes, qui caeteroquin infimae sortis  
sunt, ac proinde in rerum optimarum ignorantia vplu-  
rimum versantur,) multis inde a seculis amorem inter  
homines adeo tepeſcere, vt pignoribus plus, quam ani-  
mis credatur, et credidores aequē diffiteantur debitori-  
bus, quam debitores de creditoribus defraudandis non  
infreuerter cogitent: iidem sciunt, dici vix posse, quan-  
tum emolumenti adferat is, qui, PLANCI exemplo,  
egeſtati opem ferens pro multis spondet, et quum rei

A

publi-

a) In Orat. pro Planc. Cap. XIX.

publicae natum se credit, absque iactura patrimonii, et rei familiaris detimento, quam plurimos auctoritate sua adiuuare, pro aliis *fidem* suam interponere, ac iis oratione et verbis prodesse annititur, quibus opibus ac largitione opitulari nequit. Miselli hi, quum senserint propitiam φιλανθρωπίαν et promtam ad iuuandum voluntatem, grati certe agnoscunt, per *fidem* ab eo interpositam factum esse, ut minus sibi viderentur miseri. Ac recte quidem. Fallor enim, aut, meo quidem iudicio, is, qui suam interpretatur felicitatem, si *fidem*, *sponsiones*, auctoritatem amicorum obligationi accommodare potest, multo maiora, *fidei* interpolata, quam pecuniae collatione, in inopes confert beneficia; vt pote est *beneficium*, si SENECA b) audias, *benevolia actio*, *tribuens gaudium*, *cupiensque tribuendo*, in id, quod facit, prona, et sponte sua parata. Quae vero quum ita sint: non difficulter appetat, quid de potentioribus sit iudicandum, qui, dum, positis in fenore numinis inhiant, tenuiores vero auctoritate sua ac verbis subleuare negligunt. Quis enim, his recte cogitatis, non sentiat, versipelles istuc et lucricipidos, quousque alio, quam benefici eloquio, mactandos esse? aut, rationibus rite subductis, non videat, iure C<sup>ORNIFICI</sup>V<sup>M</sup> a C<sup>A</sup>T<sup>V</sup>L<sup>O</sup> c) accusatum esse, quod is amico infortunato *sponsione* ac verbis deesse voluerit.

*Quem tu, quod minimum facillimumque est,*

*Quia solatus es adlocutione?*

Bona verba quaeso! Nec, vt ingenue fatear, leniori censura nos tales amicis, prope dixerim, toti generi humano exosum virum exciperemus, si quis, tanquam alter C<sup>ORNIFICI</sup>V<sup>M</sup>, amico fidem querenti denegaret istam. Id ipsum vero quod attinet, siquidem recordaris, eiuscmodi hominem, licet non *fidei*; tamen alia ratione, puta consilio, copius, opibus, necessariis inopia laboran-

b) *De Benefic. Lib. I. Cap. VI.*

c) *Epigr. 39.*

laborantibus auxilium ferre posse, vix abs te impetrabis, quin instes, et hunc beneficentiae laudem mereri; modo operam nauet, ut beneficia a se in egenos collata in vulgus emanent. At scrupulo hoc, qui altius in animo Lectoris insidet, non commoueor, qui mutem meam sententiam. Largimur, infortunio laborantibus, ratione modo dicta, succurri posse. Exploratum tamen habemus, ea, quae infirmitati, quae egestati, quae ignominiae occurunt, tacite, secundum SENECAM d), danda esse, ut nota sint solis, quibus profunt. Hisce dictis nihil conuenientius addi posse, existimarem, quam si contendam, eum, qui fecus facit, et pro amicis fidem obstringere omittit, non praestare ea omnia, quae in bonum ciuem cadunt. Est enim, ut ego quidem arbitror, utilissimum rei publicae officium, quum auctoritate potentiorum subletentur tenuiores, ac, fide intuenta, locupletentur multo filii pauperes, ut ipsi sic tandem gradum aliquem dignitatis et fortunae, fideiussorum ope, consequantur. Anne igitur has ob cauſas, occasione quavis data, officium, quo cum exiguo incommodo fidem nostram pro amicis inopibus sponſione obligamus, suscipiendum esse, ambigeres ultra? At at non tamen, id ipsum fideiussionis officium nunquam odiosum fuisse, est, quod opinetur quisquam. Neminem namque fugere posse, arbitror, fide, interposita, contrahi obligationem, quam necessitas solutionis sequitur, sine spe fructus et utilitatis ad sponſorem peruenturae. Quocirca mirum non est, quo consensu nomothesia romana creditorum data fideiussione non decipiendorum cauſam egerit, quantum quidem ex eius frustulis, quae omnium manibus teruntur, possimus dijudicare. Ut vere debeatur, quod pro aliis ex sponſione debeatur e); ut is, qui pro certa pecuniae quantitate suam fidem obstrinxerat, neque ob usuras, neque ob poenam, aut

A 2

mul-

d) l.c. Lib. II. Cap. IX.

e) Leg. 4. D. de Solution.

multam, qua debito omnino tenebatur, conueniri possit f); ut fortius effectum intercessio pro pupillo sine tute *contrabente*, licet papillus non obligetur g), iterata legum romanarum vox est. Quantum vero eae securitatem creditoribus prospexerunt: tanto sollicitius in eo etiam sunt occupatae, vt ne quiuis *fideiussor* obstrictus teneretur. Inde vero est, quod non omnibus facultatem interponendi *fidem* permittant leges. Inde etiam eum recte cauisse, qui *fideiussores* idoneos quaequivit h), *VLPIANVS* grauiter pronuntiat. At quorum *fideiussiones* admittant, quasue ratas non habeant leges, de eo disceptari saepius in foro solet. Ita non rarenter quaeritur, et nuper demum ab incluto nostro ICtorum collegio quaeositum, *num Clericus bodie possit valide fideiubere?* In ipsa huius quaestioni decisione, tantum abest, vt conueniant doctores, vt potius, si vspiam; hic certe maxima sententiarum diuertia deprehendamus, quas paulo penitus inspicere, et, quaenam illarum maiori veritate nitatur, explorare operae pretium erit. Age igitur *Clericum Fideiussorem* in scenam producamus. Quam vero de eo sententiam non ita mordicus me tutaturum esse, publice recipio, vt non, si iustis in contrarium allatis argumentis, conuincar, primus adeo de resignandis tabulis consilium ineam, aut menda, si quae ob temporis angustiam irrepserint, corrigam. Sponde enim offero

*Σπόγγον ακετογλυν πλαξερένην γερφίδος*

*Spongiam, aberrantis quae medicina stili est*

### §. II.

*FIDEIVSSORIS VOCABULVM DPLEXQVE EIVS  
SIGNIFICATVS EXPLICATVR.*

Atque primo quidem hoc mihi vnumquemque facilius

f) Leg. 68. §. 1. D. de *fideiuss.* pr. D. de *minor.*  
g) Leg. 25. D. de *fideiuss.* Leg. 13. h) Leg. 6. D. de *Magistr. conuen.*

le concessurum esse, praevideo, vocabulum *fideiussoris* eosdem, quos voculae *fideiussio* ac *fideiubere* agnoscunt, natales habere, ut adeo, si, verbum *fideiubere* vnde descendat, demonstrauerim, non posset obscura esse alterius vocis origo. Compositum illud esse ex fide ac iubere, et vel ii etiam fatebuntur, qui caeteroquin in studio etymologico mediocriter sunt versati. Tametsi enim *fidei* nomen sit πολύσημον, et non vnam illa vox induere soleat significationem: attamen, quum probati et emendatae latinitatis scriptores eam, praeter alias, notionem *fidei* attribuant a), vt, ex eorum mente, dictorum factorumque veritatem aequae indicet, ac inducat obligationis vinculum: mirum sane non erit, si *fideiussor* inde dicatur quasi, quod a debitore promissum est, fide sua esse iubeat. Si data haec vocis, qua de agitur in praefens, determinatio minus certa tibi et explorata esse videatur: consideret *lector* rerum prisci aeuī curiosus, id ipsum loqui formulas nonnullas obuias in iure, quod a priscis Romuli nepotibus traditum ex amplissima illa IVSTINIANI digestione accepimus. Placet ex immensa earum mole adscribere notatu digniores, ne quis haec temere dici arbitretur. Huc tendit PAVLL disputatio b), quae tota in eo est, vt, *fideiussorem conductionis agnoscere onus usurrum*, doceat, ac si ita *fideiussisset*, in quantum illum condemnari ex bona fide oportebit, tantum FIDE TUA ESSE IVBES? Quam sententiam ILLE alio loco repetit c), ubi,

A. 3

a) Praeter auctores non paucos

id praeprimis docent TERENTII et OVIDII testimonia, quorum auctoritatem iam o-

lim inuocauit LAVR. VAL-

L A Eleg. lat. lling. Lib. V. Cap.

XVI. Quum ille enim dicat,

grauidaque facta dat fidem,

vxorem sibi fore hanc; hic ve-

ro ita canat,

Heu ubi pacta fides, ubi con-

nubialia iura:

hinc mirum non videbitur,

si, nos sententiae in ſpho alla-

tae vacasse, legas.

b) Leg. 54. pr. D. locar.

c) Leg. 54. D. de fideiuss.

contrariam pignoratitiam actionem, si in pignore contrahendo deceptus sit creditor, qui fideiussorem pro mutuo accepit, fideiussorem onerare, negat addens rationem ita sonantem, non enim pro pignore, sed pro pecunia mutua FIDEM SVAM obligavit. Neque ab hoc abludit VLPIANVS d), qui, fideiussores certum videri promittere, ait, si modo et is, pro quo obiugentur, certum debeat: quum alioquin ita interrogentur, ID FIDE TVA ESSE IVBES. Ecquid igitur nos impellit, ut ab etymologia allata recedamus? maxime quum hae formulae nostram derivationem euincant, et sensus hinc verissimus enascatur. Id caeterum adiicere iuuat, quod praecclare iam monuit Vir summus et eruditus orbis maximum decus, puta, ill. GEORG. HENR. AYRERVS e) duplicem videlicet notandam esse fideiussoris significationem, latam alteram, alteram strictiorem. Late enim fideiussor vocatur is, qui obligationem alterius vel mandatoris, vel constituentis, vel expromissoris nomine in se recipit, eamque fide ac periculo esse iubet. Talem vero fideiussorem praedictum, vadis et auctoris secundi nomine denotare consueuerunt scriptores latini, hoc tamen discriminem obseruato, ut ab iis dicterentur vades, qui in causa capitis promittebant, reum iudicio fisti; praedes, qui pro pecunia, in causa civili, et lite vindicularum intercedebant; auctores secundi, qui euictionem in emtione spondebant. Id ita esse, didici ex testimonio, quae industria summa collegit BARN. BRISSONIVS f), vir, toto vitae cursu felix, atque exitu etiam felicior futurus, si modo parta litterarum et foreni gloria contentus esse, quam se popularibus vndis committere maluisset. Caeterum sensu strictiori is fideiussor audit, qui alienae obligationi, mediante stipulatione

et

d) Leg. 75. §. 6. D. de Verb. Obl.

e) In pererudita prolus. academ. de Fideiussore Milite §. 2.

f) In opere aeternitatem victuro

de Verbor. Significat. voc. va-

des, praedes, auctores pp. 68.

833. 1021. edit. Lips. de Ann.

cclvi CCXLVI.

et sine nouatione, maioris securitatis caussa accedit. Eum vero & *ad promissoris* g), *sponsoris* h), *intercessoris* i), nomine venire, fatebuntur omnes iurisprudentiae cognoscendae cura calentes, et facile a pecuniae constitutae reo, mandatore et expromissore eum distinguenter. Ille enim accedit per nudum pactum, sine stipulatione, alterius obligationi k); Is contra non per stipulationem, sed per consensualem contractum obligationem principalem antecedit l); Hic vero non alienae obligationi accedit, sed eam nouando in se suscipit, reo priori liberato m).

## §. III.

## FIDEISSIONIS DEFINITIO EXHIBETVR.

*Fideiussionis* quam nulla nobis descriptio a legibus et in pandectis, et in codice obuiis suppeditetur, ea autem necessario constituenda sit, ut dialectici praecipiunt, si quis aliquam rem tractandam sumat: in eo iam elaborandum nobis videtur, ut eius rationem ex legum tam domesticarum quam subsidiariarum locis exemplisque diligenter consideratis colligamus. In quo tamen illud minus commode cadit, quod inter iureconsultos non conueniat in exhibenda *fideiussionis* notione. Dices forsitan, mirum omnino, et tantum non inconcinnum, videri, quod et hic dissensum reprehendere liceat, et quare, dicens perges, lites de re leuissima agitari inter doctores et vel nostris temporibus animaduertimus. Sane non aliam eius in re, de qua sermo, dissensus caussam prodiderim, quam quod alii nunc subtiliter disputantes ad leges, quae romanae originis sunt, et iam inde a pluribus

sae-

g) Leg. 5. §. 2. de V. O. Leg. 64.

§. 4. D. de sol. matrim.

h) Leg. 68. pr. D. de fideiuss.

i) Leg. 23. D. de hered. vel act.

vendita. Leg. 3. §. 5. de pecul.

Leg. 20. et 21. Cod. de fideiuss.

iuncta Auth. praesente C. cod.

k) L. 5. §. 3. Leg. 14. §. 3. Leg. 26.

D. de const. pecun.

l) L. 12. §. 14. D. mand.

m) Leg. vlt. D. ad SCt. Maced.

saeculis veluti ciuitate donatae respiciunt potius, quam ad id, quod in foro valet, nunc vero quod alii hanc iuris quiritarii subtilitatem non adeo magni faciant, et ad simplicitatem morum Germaniae hic praecipue attendant. Inde vero venit, VI MARC. ANT. MVRETO a), ANTON. HERINGIO b), AD. LAVTERBACHIO c), VLR. HVBERO d), PETRO MULLERO e), GEORG. AD. STRUVIO f), IOH. GOTTL. HEINECCIO g) aliisque visum fuerit, in fideiussionis definitione stipulationem generis loco esse ponendam. Contra vero alii, qui legibus romanis non mordicus inhaerent, quorumque auctoritate forum regitur, in alia omnia ire vides, & fideiussionem per contrarium vel ad promissionem definire. Atque ita HAHNIVM h), GEORG. HIMMELIVM i), EICHELIVM k), sentire video. Tametsi quidem non eos sumo spiritus, qui, datum mihi esse putem, hasce componere lites: attamen, rationibus rite subductis, diuersas sententias adhibito quodam temperamento componi facile posse, credidi, si modo non reiiceremus morem, fideiussionis descriptionem romanis legibus confirmandi, ac si tamen simul rationem haberemus iuris patrii. Itaque nullus in praefens dubito, totum fideiussionis, ut plerumque voca-

- a) In *not. ad Inst. ad tit. de fideiuss.*  
p. 427. edit., quam cum aliorum comment. edendam curauit IOH. VAN DE WATER  
Lugd. Batav. 1719.
- b) In *Tr. de fideiussor. Cap. III. n. 8.*
- c) Tam in *Colleg. theoretioco-pract.*  
*Part. III. Lib. XLVI. tit. I. §. 1.*  
quam in *diff. de fideiuss. §. II.*  
Quae in Eiusdem diff. unctum editis Vol. II. legitur.
- d) In *Praelect. Iur. Ciu. secundum*  
*Instiit. L. III. tit. XXI. §. 1.*
- e) In *Iurispr. Element. Disp.*  
XXXVIII. th. X.  
f) In *Syntagm. Iurispr. Exerc.*  
XLVII. Lib. XLVI. tit. I. §. XXXV.  
g) In *Elem. Iur. Civ. secund. ord.*  
pand. Lib. XLVI. tit. I. §. XXXII.
- h) In *Observat. theor. præf. ad*  
*Weßenbüchum ad tit. de fideiuss.*
- i) In *diff. de fideiuss. et fideiussorib.*, Ienae, anno, ut rubrum sonat, quo nVMI CVDVnt Vr aerosi, habita th. VI. n. 3.
- k) In *diff. de fideiuss. hac in Mu-*  
*sarum sede 1663. habita th. 13.*

vocabulum accipitur, negotium accessorium dicere, quo quis obligationem in securitatem creditoris maiorem ita recipit, ut in subsidium respondere velit. Quam definitio-nem, quum ad institutum nostrum apprime spectet, ul-terius explicare vacat. Ut nempe, fideiussionem non nisi negotium accessorium esse, contendam, me plura mouent. Quotquot enim perlustres leges, earumque commenta-tores consulas: eos docere, experieris, nullam subsiste-re posse fideiussionem, sicubi aut deest obligatio principali-sis, aut aliud deprehenditur debitum. Quia in re caussam deprehendes, cur fideiussor obligari possit nec in mai-orrem quantitatem, quam reus principalis debet l), nec in duriorem caussam m). Illustraturus id exemplo a Celeb. MERILLIO n) proposito vtar. Ita enim, si fideiussor pure acceptus fuerit, quum reus principalis sub condi-tione teneatur, fideiussor pure non obligabitur, ut illico conueniri queat, sed quum conditio extiterit, sub qua reus principalis tenebatur o). Sed quid audio? elle, quae mentem in ancipiti tenent, dicis, excipisque, quod, ipso fatente IVSTINIANO, p) fideiussor et praecedere obli-gationem, et sequi possit. Num igitur, ita dicere pergis, contendi potest, fideiussionem semper esse sequelam prioris obligationis? Nonne fuisset decentius, si ab iis, qui Lectorem bona fideiussionis definitione erudire satagunt, accurior paulo condita esset notio? Recte haec tenus, mi aduersarie! Nos vero, qui istam opinionem nostram facere non sustinemus, scrupulum, ne torqueat progre-dientes, eximamus. Nulli equidem diffitemur, mu-tuum datus prius non raro requirere fideiussorem. At-tamen,

l) Leg. 8. §. 7. D. de fideiuss. vid. tamen B. CONRADI diff. de fideiussore in maior. summag adhibito.

m) L. 34. D. de fideiuss.

n) In Comm. ad Inst. Lib. III. tit.

XXI. ad §. V.

o) L. 3. D. de pecun. confit.

p) §. 3. Inst. de fideiuss.

tamen, *fideiussionem*, denium obligatione principali existente, effectum sortiri, cum ex ipsa rei natura, tum ex variis legibus romanis q) habemus compertum. Verbis insuper IVSTINIANI, quae vrges, nihil aliud voluit Imperator indicare quam discrimen inter mandatorem, et pecuniae constitutae reum; modo virum laude nostra maiorem B. OTTONEM r) explicatione legis non falsum fuisse existimes. Quam igitur ob rationem *fideiussionem* non diceremus *negotium accessorium*? Atque sic discussio scrupulo, illius vi, *fideiussorem alterius obligationem recipere*, e finitione satis liquet. Neque vero est, quod, hic quicquam interesse, existimes, obligatio ea an re, an verbis, an litteris, an consensu contracta fuerit? Quid? quod nec id attendi solet, num obligatio, quam *fideiussor* recipit, sit ciuilis, i. e. iure ciuili comprobata, actionemque producens? an vero naturalis, puta, an iure gentium, et solo aequitatis vinculo sustineatur? an tandem e delicto oriatur? Et tali enim obligationi accedere etiam *fideiussorem*, dubio caret, modo iudex aestimare queat, poenam non imminere corporis adflictivam. *Fideiussorem* vero, quum receperit obligationem, modo in subsidium respondere, definitio innuit. Neminem fore iudico, qui aliud adfirmandum credat, nisi eum, qui forte priscas leges romanas vrgeat, et inde, intercessorem non in subsidium teneri, concludat. Evidem non ignoro, id ipsum paulo aliter, si anteriora legum romanarum meditamus tempora, se habere. Adeo nempe severus est legum in pandectis et codice obuiarum rigor, ut quoties debitor principalis obligationi non satisfaceret: toties in arbitrio creditoris erat, malletne prius

q) Inspicias, praeter alias, §. 1.  
3. §. Inst. de fideiuss. pr. Instit.  
quib. mod. obligat. tollat. L. 6.  
§. 2. Leg. u. et 16. pr. D. de fideiuss.

r) In Comment. ad Institut. Lib.  
III. Cap. XX. §. III. p. 437. edit.,  
quae Traiecti ad Rhenum  
prodidit Ann. MDCCXXIX.

prius principalem an fideiussorem conuenire; s) nisi a contractus initio aliud specialiter placitum esse doceatur t). Hac vero ratione quum fideiussorum usus valde periculosus esset, et vel ipso oraculo delphico, κέλευς, παρὰ δὲ αὐτῷ, id commonefaciente; ecquid igitur mirum, si, ad minuendum fideiussorum, quod subeunt, periculum ipsa subsidiariae obligationis ratio certa iis indulxit beneficia. Inter quae et vel illud non infimum tenere locum, quis ignorat, quod, iubente IUSTINIANO u), non prius soluere teneantur, quam si excusus sit debitor principalis.

## §. IV.

QVIS FIDEIUBERE REGULARITER POSSIT, STRICITEM EXPOSITVR.

Haec ergo tecum, Lector, erant communicanda, ut in limine statim compiperies, qualem fideiussionis conceptum supponerem, cui, iacto veluti novae domus fundamento, deinceps dicenda superstruantur. Nunc, age, personas lustremus, quae fideiubere queant. Videlicet ab iis, qui fideiussionis contractum celebrare cupiunt, et aequitas et leges desiderant, ut consentiant, et pacificando se obligent. Egregie vero eum aequa falli, ac propugnare adsertum ab omni legum ratione alienum, oppido liquet, qui istam propositionem invertendam esse, autumaret, statueretque, ut omnibus, quibus interponere consensum, stipulationem celebrare, pactum inire, permittunt iura, ius fasque esset, vt, si vellent, fideiussionis contractui accedere possent. Esse enim, quis ignorat, causas vel communes, vel speciales, quae prohibent, ne quiuis illico fideiussione obstrictus teneatur. Ita enim militibus ut plurimum praeter sarriflam gladiumue et sclopetum nihil possidentibus leges fideiussionem interdicit.

B 2

cunt

s) L.3. C. de fideiuss. et mandator. u) Nov. 4. Cap. I. et seqq.

t) L.5. L. 19. Cod. rod.

cunt a), ut ne ii scilicet alienis negotiis implicantur, et militiae muniiis insident negligentius. A *fideiuffione* mulieres eximit etiam SCtum Velleianum b), quod, ut ait CORDIANVS c), efficacem non esse finit obligationem earum: cum quia fideiuffio aequae est species defensionis d), atque negotium virile e), tum quia accedit rei familiaris periculum, non adeo praeſens, aduersus quod alias feminae se satis munire scunt f). Ira et Curiales se olim *intercessionibus* obligare non potuisse, norunt omnes, qui leuiter saltim in antiquitatibus romanis sunt versati g). Quid? quod a creditoribus, si se ob *intercessorum* aut paupertatem nimiam h), aut etiam potentiam i) non satis securos credunt, tales *fideiuffores* recusari poterunt.

## §. V.

EXCIPIVNTVR CLERICI, PER QVOS QVINAM INTEL-  
LIGANTVR, EXPLANATVR.

Inter personas vero, quarum *fideiuffiones* tanquam ratae non admittunt leges, referri videmus personas ecclesiasticas. Hasce autem clericos et vel ea propter, quod de forte domini eligerentur, appellatos esse, sunt et ex ipsis coetus romani doctoribus, qui id hon inique obseruant. In his potissimum nominandus est HIERONYMVS,

- a) L. 8. §. 1. qui satis dare cogunt.  
 L. 31. C. de locat. Varias autem de iis factas a Doctoribus interpretationes adductas inuenies in pereleganti prol. academiea iamiam cit. ill. Dom. AIRERI.

- b) Evaluatur, si placet, praeter HELFRIC. VLR. HVNNII diff. de SCro Velleiano, BOEHMERI diff. de efficaci mulierum intercessione.

- c) L. 9. C. ad SCtum Velleian. d) L. 2. §. 5. L. 3. ad SCtum Velle. e) L. 1. §. 1. D. eod. f) Leg. 6. C. de donat. ante nupt. g) vid. HERINGIVM l.c. Cap. IX. n. 175. h) Ad hanc respexisse videtur IOH. BRVNNEMANVS in Comm. ad L. u2. D. de V. O. n. 4. i) Vid. tot. tit. C. ne liceat potent. patrocin. litigant. praeſ.

qui, quum, duo esse genera christianorum, perhiberet, inter alia ita infit a): *Est autem unum genus, quod mancipatum diuino officio et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, ut sunt clerici, et Deo deuoti videlicet conuersi: κληρος enim graece, latine fors.* Inde huismodi homines vocantur clerici, id est, forte electi. Omnes enim Deus in suos eligit. Hunc preesse sequitur ISIDORVS, qui, clericos et clericos, inquit b), hinc appellatos credimus, quia Matthias forte electus est, quem primum per apostolos legimus ordinatum. κληρος enim graece, fors latine, vel hereditas dicitur. Propterea ergo dicti sunt clerici, quia de forte domini sunt, vel partem domini habent. In quam sententiam et posteri ipsorum, senis temporibus, proclives esse videntur. Ut ne plura aliorum vrgeam testimonia, inuocare modo licet auctoritatem summi olim Praesulis Pariensis, et nostra laude maioris, PETRI DE MARCA. Is enim, quum opinionem de denominatione clericorum et laicorum e statu rei publicae iudaicae petenda proponeret, ac pererudite exornaret, duo sortium genera in sacris litteris inueniri pronunciabat c), sortes nempe sanctorum, et ministerii sortes, quae posteriores vero, ex ipsius mente, non nisi clericos respicerent, et tali sensu κληροι caeteri fideles appellari non possent. Ita vero dum Antistitis romani affectatores tantum non omnes persuasum cuiuis esse cupiebant, hancce de *Clericis* denominationem esse verissimam: iidem canonum auctoritate suffulti docent, per *Clericos* intelligendos esse *Christianos* ritu canonico a populo in ecclesiis ita separatos, ut statum ecclesiasticum novum induant, atque ad officia publica et regimen ecclesiae destinentur. Non alia, iurare ausim, causa, doctores hi

B 3

singu-

a) c. VII. C. XII. q. a. in Tr. Trinit.

b) Teste ANDR. BIRNBECKIO in Tr. de Clericor. et praecipue Sacerdotum et Pastorum

dignitate et honestate Cap. I. p. 3.

c) In Diff. de discrim. Cleric. et Laicor., quae nouae edit. Lipsiensi p. 285. addita legitur, §. 7.

singularibus opinionibus imbuti impellebantur, vt allatum significatum ministris diuini verbi describendis adhicerent, quam quod crediderint, futurum hac ratione esse, vt *clericis* auctoritatem non maiorem comparare possent. Et in eo, ni fallor, rationem deteges, quare iidem *clericos* a laicis sollicite seiungunt, hosque dicunt non modo *subditos praefiguratos sub Afina Balaami* d), sed et a *spiritualibus ita remotos* e), vt ne viam salutis quidem iis inuestigare liceret f). Haec vero improba commenta, nemo non intelligit, ab ecclesiae romanae vindicibus ideo esse inuenta, vt cui fauent, dignitatem clericalem sustinerent, amplificarentque. Nemini proinde mirum esse debet, quod & iam olim huic de *clericorum* notione datae opinioni nuntium miserint viri, qui iugum Pontificum excutiebant, proscribebantque errores, quibus diuinior coetus erat fascinatus. Equidem non attingam in praeſens varias virorum eruditorum obmotas sententias, dicam? an coniecturas de quaeftione, num discrimen inter *clericos* et laicos fundatum sit in ipsis et Christi seruatoris, et Apostolorum litteris g). Vtraque enim sententia ita, vt ego quidem puto, conciliari potest; licet caeterum cedam libenter illis, qui me alterius sententiae conuincere poterunt, neque hic tam iudicis, quam opinoris et coniectoris, partibus functus videri velim. Scilicet si per *Clericos* doctores ecclesiae, et per laicos

d) c. 41. C. 2. q. 7.

e) Per c. 2. *Difſinct. 63.* et c. 1. *Difſinct. 96.*

f) Sed vid., si placet, *Jugement de Saintz Peres sur les propositions condamnees dans la constitution du 8. Sept. 1713. selon la methode des Geometres edit. 1713.* neque minus *Bulla nouititia Pontif. max. Clement. XI.*

cum fulmine damnationis vibrata, et examinata a WOLFF. LAEGERO Tub. 1713. quibus iungi potest *Inclem̄tia Clementis* examinata a B. IO. FICKIO.

g) Instar omnium legi meretur B. LAVR. DE MOSHEIM *difſ. de difſinct. inter Clericos et Laicos.*

laicos auditores intelligis, negari nequit, discrimen inter illos stabiliri, etiam in ipsis scriptis, quae ab Apostolis, nonnullisque eorum familiaribus, instinctu diuino de rebus Christi, eiusque dogmatibus composita sunt, et quae noui testamenti vocabulo designari solent. At si Clericis certum sanctitatis characterem adspergus, qui eos ad singularem dignitatem et fastigium uechatur, laicos vero ad ignobiliorum locum detrudat, ipsisque non nisi obsequii gloriam relinquat: tunc verius est, discrimen hoc non esse iuris diuini, sed potius meri humani. Hisce disputatis, futurum esse, puto, ut operam perdere nulli videamur, si praeente viro suis meritis hanc murarum sedem olim ornante 10. WOLFFG. KIPPINGIO h) clericis nomine notare audeamus *sacrum diuina auctoritate ministerium constitutum, sive homines Deo auctore sacri ministerii consortes factos.* Ministerii vox sicuti generatim et operam, et officium ministri, administrationem munusque indicat: ita praeprimis, quum ad notionem cleri pertinere videatur, ministerii et ministri erit, ut negotia non alia ratione curet, quam ut dominum, cui seruit, velle vel certe scit, vel recte arbitratur. Liquere id, opinor, et vel ex solo PETRI dicto 1): Ποιμανετε τὸ ἐν υἱῷ ποίμνιον τῇ Θεῷ, ἐπισκοπεύτε μὴ αὐτογκατάσθω, ἀλλὰ ἐκουσίως μηδὲ αἰσχροεργῶς, ἀλλὰ προθύμως. Μηδ' αἱ κατακυρεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γνόμενοι τῇ ποιμνίᾳ. Pascite Dei gregem, qui penes vos est illius inspectioni vocantes non coache, sed libenter, non turpiter affectantes lucrum, sed pronto animo. Neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis. Sacrum in definitione voco, quod Deo dicatum eius cultui tam priuato, quam publico seruit. Quare *sacrum ministerium notare videtur vel officium, vel opera hominum diuino cultui seruientium.* Quod si vero consideramus, decere diuinam prouidentiam,

b) In *Affert. pleniori Nominis Cleri Ministerio Sacro diuini-*

*tus impositi f. 2.*

i) I. PETR. V. v. 2. et 3.

tiam, vt auctor sit ministerii sacri, si hocce existere, et opera mortalium ad coelestis doctrinae amplificationem vti velit: perspiciemus, diuina auctoritate constitutum ministerium sacrum nihil aliud esse, quam prouinciam ab ipso diuino Numine certis personis eapropter demandatam ut docerent Deum Filium suum ἀπόνυμον της δόξης, καὶ χαρακτήρα της ὑποσάσεως ἀντρᾶ, splendorem gloriae, et characterem personae suae m) ad nos caecos ablegasse; vt annunciant, eum, quum in coeleste regnum reuertisset, παρακλητὸν consolatorem, atque πνῦμα της Αληθείας spiritum veritatis misseren); breuiter, vt aequē dogmata coelestis doctrinae explicarent, atque traderent pracepta de officiis hominum christianorum,

## §. VI.

QVAESTIO, AN VALIDA SIT CLERICI FIDEIVSSIO,  
ABILLA, NVM SIT IDONEA, DISCERNITVR.

Quare, scenam magis instruxisse, quam exornasse, contenti temperare nobis non possumus, quin, ne quid necessarium intactum reliquise videas, in transitu quaestionem attingam, quid nempe consultius sit, aliumne, an clericum, fideiussorem eligere? Melius certe, quid enim impedit, ne quod tum res est, ingenue dicam? quisque sibi, suisque rebus consulter, qui quemuis aiium potius, quam clericum fideiussorem elegerit. Si enim VLPIANVM audias: eius indulgentia actoribus concedit facultatem, vt tales fideiussores recusare quis possit, qui, vti clerici, gaudent prascriptione fori a). Magnam insuper difficultatem conuentionis, quam actionis inanitatem non rarerter se se hic exserere, intelligent illi, qui non opinionibus temere adscitis, ne verum videant, impediuntur. Mea enim pace fingas, fieri interdum, vt Clericus pro laico cautionem iudicatum solui in foro seculari

k) HEBR. I. v. 3.

l) IOH. XIV. 26. et XV. v. 26.

a) Leg. i. D. qui satisd. cog.

calari praestiterit: ille, quantum ego quidem iudicare possum, huius debiti intuitu in eodem iudicio conueniri non potest. Non enim in praefens vrgeam, *fideiussorem*, qui cauit de iudicio sisti, et tamen non illius iurisdictionem agnoscit, pro non dato, ex istius **VLPIANI** sententia b), habendum esse; sed id saltim moneam, quod, si vspiam, hic certe locum sibi inueniat illud, quod hodie paroemiae loco dicitur, *es ist biss Gäste laden, deren der Wirth nicht mächtig ist.* Atque omnia si aequa lance consideramus: nec *Clerici* suis rebus bene consulent, si onus *fideiussionis* in se suscipere non detrectantur. Nemini nempe potest esse obscurum, eo facilius proficere *clericum*, eoque certius auditores etiam dictis monitisue obsequentiores reddi, quo arctior inter utrosque coniunctio animorum intercedit, quoue certius de *clericis* in se voluntate ac salutis aeternae promouenda studio persuasi sunt parochiani. At vero aut omnia me fallunt, aut vix vnius ex coetu ei commisso fiduciam, amoremque, quo tamen nihil ad continendos in obsequio homines accommodatius remedium excogitari potest, comparabit, si per negotia secularia, vti per *fideiussiones* interpositas, a cultu diuino et animarum cura abstrahatur, impediaturque, quo minus auditores rudes adhuc, et non nisi leui rerum diuinarum cognitione et prudentia tintos dogmatibus imbueret.

## §. VII.

DISPOSITIO IVRIS ROMANI HAC DE RE  
ADFERTVR.

Sed ad principale caput, ad quod per hos anfractus tandem contendimus, iter flectendum est. Nempe, num valida sit *Clericorum fideiussio*? et num, si quando nostra aetate quis *Clericum* producat, eumque creditor accipiat *fideiussorem*, hic tali *fideiussione* interposita tutus fit?

C

b) *L. i. D. si quis in ius vocat.*

## XVIII DE CLERICO FIDEIVSSORE

fit? pressius nunc atque distinctius, operae pretium est, ut exponamus. Quod ut fieri possit, ante omnia considerandum, quid ius romanum hic disponat. Non paucas vero inuenies leges, quae *clericos a fideiussionibus* arcent. Ita enim e Codice adduci videmus legem, qua Imperator *LEO Augustus Aspari* Magistro militum rescriptis a), milites nostros alienarum rerum conductores, seu procuratores, aut fideiussores, vel mandatores conductorum fieri prohibemus: ne, omiso armorum usu, ad opus rurestre se conferant, et vicinis graues prae sumptione cinguli militaris existant. Tametsi quidem haecce lex militibus tantum modo fideiussiones interdicat, hasque irritas declareret: attramen legum interpretes eius verba et de militibus spiritualibus admittunt, durante adhuc hodie prohibitionis ratione, exarmati, ne scilicet clericci, dum diuino ministerio consecrati militiae sacrae munis insudare deberent, a cultu diuino et animarum cura abstraherentur. Hisce addunt quasdam ex ipsis nouellis constitutionibus, quae dignae sunt, quarum hic tenor, sed latine tantum, inseratur. Ita nempe iubet *IVSTINIANVS* b). Sed neque sacerdotem suscep torem, aut exactorem fiscalium functionum, aut conductorem publicarum aut alienarum possessionum, aut fideiussorem pro talibus causis episcopum, aut oeconomum, aut alium clericum cuiuslibet gradus, aut monachum proprio nomine, aut ecclesiae, aut monasterii finimus. Haec tenus lex prohibitiva. Iniciuntur pauca, rem qua de agimus, non proprie tangentia. Nempe: Sed etiam ipsis sanctissimis ecclesiis et aliis venerabilibus domibus damus licentiam conductiones et emphyteuses facere ad inuicem: et clericis similiter propriarum ecclesiistarum possessiones conducere et gubernare, cum voluntate tamen episcopi et oeconomi permittimus: exceptis personis quas per aliam legem hoc facere prohibuimus. Sequitur iamiam poena, quam subire deberent secus facientes.

Si

a) *L. 31. C. locati.*

b) *Nov. 123. Cap. VI.*

Si quis autem contra ea, quae dicta sunt aliquid fecerit, si quidam episcopus fuerit, omnes eius res ex qualibet caussa vel persona sive ante episcopatum, sive post hoc fuerint ad eum venientes, eius ecclesiae vindicari sancimus; si autem oeconomi aut alii clericci fuerint hoc delinquentes: pecuniariam eos paenam, quamcum episcopus eorum probauerit, exigunt, ecclesiae vindicandan: cum etiam conductionem teloniorum, aut cuiuslibet possessionis, aut publicarum collationum perceptionem aut exactionem, aut sollicitudinem domus eis credentes, aut fideiussores eos pro memoratis causis suscipientes: nullam contra ecclesiam, aut monasterium, aut res eius, aut gubernantium, aut contra illas personas, quibus crediderint, aut fideiussores eorum habeant actionem. Illi vero, qui publicarum collationum aut tributorum susceptionem, aut conductionem, aut exactionem memoratis personis crediderint, aut fideiussores eos acceperint: si quod publico damnum contingat, hoc ex propria facultate restituere compelluntur. Vrgere insuper videmus constitutionem, qua LEO Imperator STYLIANO, sacrorum officiorum magistro, ita inter alia rescribebat c) - - Certe idcirco, non quod contrarium (quod ab his) statuere, sed potius, quod sacram sanctionem sequi, nullasque illis, qui ab illa condemnantur, excusationum tergiuersiones relinqui velimus: decernimus, ut si aut primarii inferiores sacerdotes, aut omnino clericus quispiam, vel praestando in litibus patrocinio, vel spondendo, vel alio simili modo de sui ordinis dignitate detribant, excommunicentur, et ad aliquod tempus a celebrandis sacris supersedeant, atque ubi ita pro delicto dignam poenitentiam egirent, promissō facto, se ab humanorum negotiorum commercio pro viribus deinceps mundos conseruaturos, ad sacra tractanda introducantur, omnimodo ut profani et indigni a sacris functionibus abstineant.

C 2

§. VIII.

c) Nov. 86.

## §. VIII.

DISPOSITIO LEGVM ECCLESIASTICARVM HAC DE  
RE ADPONITVR.

Vt vero Lectores beneuoli etiam intelligent, quid intuitu fideiussionum clericalium disponant legum ecclesiasticarum conditores; potissimas earum formulas recitasse, e re nostra erit. Primum accipe formulam *canonis*, vti vocant, *apostolici* a), qua ita cautum legitur, *Clericus, qui fideiussiones dat, deponitor.* Hanc ordine sequatur decreti in concilio Carthaginensi III. confessi particula, eo minus hoc loco praetereunda, quo magis eius auctoritatem inuocare solent, qui a nobis dissident. Ita sonat b); *Placuit, vt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, vel clerici non sint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi et inbonesto negotio victimum querant; quia respicere debent, scriptum esse; nemo militans Deo, implicit se negotiis secularibus.* Quid inter patres conscriptos in concilio Cantuariensi conuenerit de fideiussione clericali, disces ex ipso canone, quem suo tenore memorabilem adscribo c): *Clericus fideiussoribus inferuens abiiciatur, Audias vero sententiam, quam dedit LVCIVS tertius ex incluto eorum Praefulsum Romanorum numero, qui idem nomen obtinuerunt. Ita nempe infit d): Peruenit ad nos ex conquestione R. clerici quod, cum ipse pro C. et F. clericis mercatoribus bononiensisibus fideiusserit, illis praescriptam pecuniam non soluentibus, coactus est satisfacere de eadem. Ne igitur dispendium patiatur, unde videotur praemium meruisse: Bononiensi episcopo dedimus in mandatis, vt super debitibus illis instrumenta, quae sunt apud creditores, inspiciat, et eorum transcripta suo sigillo signata vobis mittere non postponat. Mandamus itaque discretioni vestrae, quatenus, si ex confessione praedictorum clericorum, vel alias legitimate vobis, rem ita se habere constiterit, monatis*

a) *Can. 19.*b) *c. III. C. XXI. Q. III.*c) *c. I. X. de fideiuss.*d) *c. II. X. de fideiuss.*

neatis eosdem, ut memorato R. pecuniam, quam pro eis soluit, restituant, ipsumque seruent indemnem; alioquin de redditibus eorum praescripta debita faciatis, exsolui, et damnam etiam, quae propter hoc pertulit, resarciri: aut praedictos redditus sibi assignetis, tamdiu sine molestia detinendos.

## §. IX.

CLERICIS NON ABSOLVTE INTERDICTVM ESSE,  
FIDEIVSSIONEM INTERPONERE, ADSTRVITVR

I) E PRINCIPIIIS IURIS NATURALIS.

Quas vero ex utroque iure subsidiario in medium protulimus, leges ciuiles aequae ac ecclesiasticae non absolute prohibere, ut ab omni omnino generis fideiussionibus abstineant Clerici, eosque adeo, si quasdam interponant, teneri earum vinculo obstrictos, in praesens tradamus. Nobis vero id stilo uberiori deducere mediantibus primum in animum venit ius illud hominum mentibus inditum, cuius principia, quam ab ipso Numinе Diuino, diuinaque ratione proficiscantur, nullius hominis imperio suffragioque populi tolli et abrogari queant. Id ipsum vero ius, quod ex hominis, hominorumque rerum natura, quid cuique debeatur, ostendit, vnum quemuis mortalium docere, ecquis neget? vt, si quis rectam rationem adeptus eiusque vsu non destitutus promittat quippiam, is suam mentem de dando aliquo, faciendoe prodat, hincque ei standum sit promissis patisque tam accessoriis, quam principalibus, virque adeo quibusvis nihil sanctius esse debeat fide promissa. Sicut enim nihil tam nefarium excogitari potest, quam in patris frangere fidem, quae continet vitam: ita et, vt eloquitur Euripides: a)

*Kαλόν τι γένος, ὅτω πίστις πάρεν  
ευηγέρτης. Puto hunc est lingua, cui adest fides. Cuius  
Quae vero quam ita sint: ambigi ultra de valore inter-  
cessi-*

C 3

a) In *Iphig. in Taur.* v. 1064.

XXII DE CLERICO FIDEIVSSORE

cessionum a *clericis* interpositarum non posse, opinor, multoque minus statui, eas esse infringendas. Certe, ut defendam istud, me mouet alia, quam prae oculis fero, regula, seu, ut rectius dicam, argumentatio, nempe; si omnium, quae alteri debemus, officiorum communis veluti fons sit iustitiae amor, imo, si is nos subigere debat, ut, quod nobis fieri volumus, id nec alteri faciamus; si denique nemo mortalium sit, qui pactis promissis ab altero decipi velit: sequitur certe, ut nullus, adeoque nec *Clericus* cuiquam pactionibus promissis, fideiussionibus illudere queat, aut fallere eum, qui accepit intercessionem. Quid ergo? nam contendi potest, *Clericatum* dissoluere ea, quae sunt iuris naturalis? num asseri, *clericos* valide pacta celebrare non posse, hinc nullius esse momenti ut eorum pacta: ita praepremis *intercessione*s ab iisdem interpositas? num affirmari nos ex iis, quae hucusque disputauimus, minus recte concludere ad *clericorum* obligationes tam principales, quam accessoriæ, et hinc inique dicere, *clericatum* nihil validitat<sup>i</sup> *fideiussionum* a *clericis* exhibitarum detrahere? Caeterum, ne quis me in cunctis opinionibus nimium putet, aut miretur, quod, quum hactenus non pauci eruditorum *clericos* in fideiussionibus non admittendos esse adseruerint, licet sine iuris textu, ego nouus faber aliam e puluere suscitem sententiam, id iamiam in quo, idem illud, quod adduxi, agnoscere et ipsos canonum sacrorum conditores, audiuissent. *S. X.*

III) E CURATORI LEGVM ROMANARVM CONTEMPLATIONE NOSTRA SENTENTIA DILVICIDIO

REDDITVR.

Et quid multa e jurisprudentia naturali corradamus argumenta, quibus lux sententiae nostrae asserti possent? Etenim

Etenim si nos, veluti in alio nunc iuris orbe versantes acrem in adductas leges romanæ aciem intendamus: tantum abesse, deprehendimus, ut clericis absolute interdicant fideiussiones, vt potius labor illius, qui secus sentire, et aliud anxia cura docere animo gestit, prorsus inutilis, videatur, nec reperiatur in iis quippiam, quod fluctuantem in ambiguo animum sistere, aut illius satiare desiderium possit. Quod vt clarius fiat: primum id nobis dare, iure postulamus, extensionem allatae e Iustinianeo codice legis hic non inuenire locum, et inepte hinc eo prohibita militum fideiussionem trahi, vt non dissimilis de clericis dispositio reddatur paullo dilucidior. Id ipsum vero si quis in dubium vocaret, inuita licet, aut intercedente veritate: is quaeso consideret, num rationes, ob quas ea in lege militum fideiussiones reprobari videmus, quadrant cum clericorum intercessionibus? Ecce illae eo redunt: ne scilicet I) omiso armorum usu ad opus rursum se conferant; et II) vicinis grates praesumitione cinguli militaris existant. Iam interrogare licet, num hasce rationes assumere ac adfirmare possimus, fideiussiones Clericorum ob easdem illas rationes ratas esse habendas? forsitan, quod Clerici coelestes milites vocentur a). Ego non existimem. Si enim audiamus III. AYRERVM b), ICTUM et ingenio et doctrina magnum: dicta legis dispositio ob mutatum militiae statum in Germaniae foris exulat. Quocirca quis crederet, eius caussas fideiussionibus clericorum nostrorum posse accommodari? Sed hoc quasi e diuerriculo ad Nouellam reuertamur, et videamus, num ea his, qui contra Clericorum fideiussiones pugnant, an mihi met faueat? Integra Nouellae dispositio, licet paullo longior §. VII. transcribenda erat, ne forte per lacunas eam excitando suspicioni locum relinquamus, esse in ea, quo aduersariorum sententia defendi, aut excusari possit. Nunc vero ex omni eius compage clarissime constat, non praefatuere

a) C. 48, C. XI, Q. I.

b) In cit. pr. §. IX.

stueri hanc nouellam principium generale de quibuscumque *Clericorum intercessionibus* non admittendis ; eam ad certas modo species respicientem non omnes et singulas *clericorum fideiussiones* afficere ; concidere hinc sententiam, quae omnes eorum intercessiones damnat. Scire hinc cuperem, qua probabilitate, quo iuris praesidio, praesummi possit, IVSTINIANVM edere voluisse ius nouum de annullandis *clericorum fideiussionibus*. Si enim quidquam recte valet interpretatio : certe Nouellae verba ; sed neque fieri - - aut fideiussionem pro talibus caussis Episcopum, aut oeconomum, aut alium clericum cuiuslibet gradus, aut Monachum proprio nomine, aut ecclesiae, aut monasterii sennimus : non generalem regulam *clericorum fideiussiones* damnantem fistunt, sed involvunt potius exceptiones quasdam. Hinc illa Nouellae dispositio se refert modo ad certas caussas, quibus *clericorum intercessiones* ratae accipiendae non forent, atque acceptae ? Recte omnino. At in quibus quæso ? non sane in caussis priuatorum negotiorum, sed in causis earum rerum, quarum administratio clericis iamiam erat interdicta ; verbo, in iis, quas Diuus IVSTINIANVS exponit, his verbis. Si nempe fideiussio I) pro exactore fiscalium functionum, aut II) conductore publicarum, alienarum possessionum ; III) aut curatore domus ; aut IV) procuratore litis suscipienda foret. Hae vero caussae, ni omnia me fallunt, non eneruant, sed firmant potius thesin, generalem nempe desiderari adhuc in Nouella prohibitionem de *fideiussionibus a clericis* non interponendis. At vrges forsitan poenam, quam, iubente IVSTINIANO subire deberent iudices, qui *clericorum fideiussionem* abprobauerint. Dices, conatu licet prorsus errito, id ipsum roborare sententiam secus sentientium. At minime id consequitur, nec, poena modo memorata, medela opinioni a nostra diuersae paratur ; quippe quae argumento specioso eo minus deseruit, quo certius est, verba Nouellae, quae faniunt, esse, ut iudex clericum fidei

fideiussorem adprobans poenam incurrat, sese referre ad memoratas modo causas, adeoque iudicem tunc demum poena dignum esse, si in iis clericum admiserit fideiussorem. Quid? quod subiectam huic legi generalem rationem, ut non per hanc occasionem et sanctis domibus damnatum fiat, et sacra ministeria impediatur, parum curo. Forte, quia sic clerici hinc nullos contractus; illinc nulla negotia inire possunt. Minime. Sed quoniam BOEHMERVS, maximi et post fata nominis ICTUS, iam olim recte monuerit, hanc rationem respicere tantum administrationem rerum secularium principaliter ibidem prohibitam, ad quam ea omnino applicari potest. Neque vero B. BOEHMERVS, huic Nouellae dispositioni quidquam adfinxisse, est credendus; quippe et alias leges clericis talia interdicant negotia. Superest, ut tandem adductam LEONIS Imperatoris dispositionem non negligamus; maxime quum nobis non nocere videatur. Concedo, clericum, qui se aduocationibus, sponsionibus redempturis, idve genus aliis rebus dedunt, sacro ordine denudere. Largior, non inique, ex eius legis dispositione, eos, qui sibi attributam a sacro sancto spiritu dignitatem dehonestant, et, quantum in ipsis est, sublimitatem gratiae deprimit, merito beneficij magnitudinem non ferire, et ut indignos priuandos esse. At inde argumentum nostram sententiam feriens peti posse, nullus crediderim. Evidem non vrgebo, quod, Nouellas LEONIS vsu obsoleuisse, ii praeprimis doceant, qui splendidum, si Diis placet, pragmaticorum titulum vnicce prae se ferentes, nihil ceteroquin pulchrum, ipsorumque auribus dignum reputant, nisi illud fami dispellendae proxime inferire videatur. Id saltim moneo, de prohibita clericorum fideiussione altum esse in nostra Nouella silentium. Imo in eo falsi sunt aduersarii, quod clarissima eius verba ad fideiussiones a clericis non interponendas detorqueant, quum, de clero dignitatem tum priuando,

do, si sponzionibus, neutiquam vero, ut illi volunt,  
*fideiussionibus* redimendis operam det, loquantur, for-  
tissimo arguento, eos, qui discedunt a nobis, multa  
sibi sumere, coniecturisque pugnare potius, quam rati-  
onibus.

## §. XI.

III) E LEGVM ECCLESIASTICARVM CONSIDERATIONE  
SENTENTIA NOSTRA LVCEM ACCIPIT.

Nec in his, quae hactenus differuimus, totam de  
*clericu fideiussore tractationem* absolui existimes; siquidem  
leges ecclesiasticae iamiam veniunt in considerationem  
paulo curatiorem. Quocirca ut circumspiciamus, an il-  
lae *clericorum fideiussiones* annullent? res ipsa iubet. Quo  
vltiore eae vero curam poscunt: eo magis laetor,  
me in causa hac exornanda nactum esse antecessorem  
BOEHMERVM τὸν μακάριον a), quem sibi nostra aetate  
tantum non omnes sequendum esse, ducunt, quibus ius  
sacrum explicare placet. Validum ex adductis *canonibus*  
*Apostolicis* argumentum contra *fideiussionum a clericis* in-  
terpositorum validitatem peti posse, ego nullus credide-  
rim. Qui enim fieri posse existimares, ut, qui sententiae  
a nostra alienae sauent, quicquam praefidii in iis inueni-  
rent, quum eruditum lectorem fugere nequeat, istos  
canones esse opus spurium, quod nec Apostolos, nec  
Clementem, Apostolorum discipulum, vnuquam agno-  
uit auctores, quodque, quum esset ex variis conciliis,  
moribus et ritibus corrasum, et vel ea propter encomio  
canonum Apostolicorum est insignitum, quo adplausu eo  
maiori exciperentur b). Nec, si adductum *canonem XIX.*  
ceu non spurium opus, admittimus, eum aduersarios  
iuuare

a) In *Iure Eccles. Protestant.* Lib.  
III. tit. XXII. §. IV.

git IO. FRANC. BUDDEVIS  
in *Ifag. in Theolog.* P. II. C. V.  
p. 742. sqq.

b) Varias virorum doctorum de  
his canonibus sententias colle-

iuuare, vel inde patet, quod, uti argute coniicit BOEHMERVS, ne fideiussiones quidem clericorum annullat. Verendum vero non est; ne dicant aduersarii, BOEHMERVM, caeteroquin doctissimum opinioni anteceptae hic nimis seruire, notissimamque illam interpretum regulam, quae vetat, sensum verborum legum coarctare, nisi hoc graues poscant rationes, negligere. Ipsi enim scriptores a Pontifícia doctrina non dissentientes id in dubium vocare non audent. Quodsi vero quemdam id afferentem videre aueas; GONZALEZ DE TELLEZ adibis, qui, clericos posse quidem fideiubere pro egenis et miserabilibus personis, sed per assidas fideiussiones non negotiis secularibus se immisere, ne a diuinis abstrahantur, diserte scribit<sup>c)</sup>. Canonem concilii Cartbaginensis III. parum euro; siquidem non tam de fideiussionibus, quam de aliis negotiis loquitur, a quibus abstinerent clerici. At maiori attentione excipiamus canonem in concilio Cantuariensi confectum. Nouem Musas, praefidemque Mineruam, iratas mihi metuerem, nisi explicationem, quae animum celeb. IOANN. PETRI GIBERTI d) circa canonis tam Apostolici, quam huius conciliationem subiit, Tecum Lector, communicarem. Ita sonat: notandum scilicet esse circa hos canones, quod prior sic concipiatur; clericus qui fideiussiones inseruens abiiciendus est: Quodque secundus explicet primum, doceatque intelligendum de clero, qui frequenter fideiubet. Notandum iterum, quod sic conciliandi videantur hi canones cum Secundo et Tertio de fideiussionibus in quibus videre est, clericos ex fideiussione obligatos, quique idecirco docent, clero fideiussionem licitam esse, modo rara sit, et pro necessaria causa. Cuius conciliationis rationem esse, quia frequens fideiussio implicat frequentibus litibus a Clericali statu absonis, idque non timendum de rara fideiussione

D 2. capitulo boni facta-

<sup>c)</sup> In Comment. ad Decret. et natur. ord. digestas T. III. in quidem ad C. I. de fideiuss. n.4.

<sup>d)</sup> In Corp. Iur. Canon. per regul.

XXVIII DE CLERICO FIDEIVSSORE

*factaque pro sola necessitatis caussa.* Sane tam feliciter procedit haec coniectura, vt eiusdem commemoratione haud parum illustrari, an dicam decorari? putem hanc operam. Ea enim, dici vix potest, quantum sententiae nostrae patrocinatur; maxime quum de iis *clericis* sermo esse videatur, qui *fideiussiones* conciliare, et peragere proxenitarum munera confuerint. Atque ad hanc nostram thesin adstruendam haud parum conducent et aliae leges ecclesiasticae, quibus, nescias, an quicquam cogitari possit melius? In earum censum venire iussum LVCII P. R. a nobis iamiam adductum, profitebuntur omnes, qui illud paulo penitus intueri non negligent. Eodem redit, quod ALEXANDER III. monachos, si *fideiussores* dederint, iurauerintque, creditorem indemnum seruare, eorum esse, grauite r pronuntiauerit, e) ut *eandem conventionem adimplant.*

§. XII.

IV) AD OBJECTIONES SENTENTIAE NOSTRAE OBMOTAS RESPONDETUR.

Operosissimi autem fuerunt Doctores in congerendis rationibus quibus contrariam firmare conarentur sententiam. Quocirca licebit nobis pro libertate, qua res publica literatorum fruitur, respondere in praesens ad illas. Primum vero necessitas efflagitat, introspicere dictum diui PAVLI ad TIMOTHEVM a) exaratum, quo elucescat, num tela nobis metuenda ex eo petere queant sententiae a nostra diuersae suffragatores? In eius rationem inquisitus parum assequitos eam esse intellexi illos, qui hocce dictum urgent. Nam si sollicite, qua PAVLVS vititur, voculam graecam προστητικη consideraveris: id, vt ego quidem arbitror, tantum exinde deduces, quod milites quicunque, ex Apostoli mente, abstineant a negotione mercatoria, seu nundinatione,

Con-

e) C. IX. X. de iure iuri.

a) II. Ep. Cap. II. v. 4.

Concedimus id ipsum; largimur, militum, et eorum quoque, quos coelestes vocant, esse, ut ne se immiscent; sed, quod aduersariorum pace profitemur, non videamus, cur ex dicto Paulino concludere queamus, *clericorum dignitatem iure postulare, ut abstineant a fideiussionibus.* Quam vero obmotam obiectionem excipient iam aliae non contempnendae. Igitur in scenam prodeat MATTH. STEPHANI  
*o paucisq[ue]tros.* Defendit vir celeberrimus b), licet audacia magis, quam specie, *fideiussiones clericis esse generatim interdictas.* Manes vero viri beati mihi metu parcant, quum contendam, id ipsum gratis asseri, legumque sancta refellere hanc opinionem. Etenim ea si falsitatis suspicio-  
ne nec laboraret, nec solida ratione destituta esset; nulla sane, ut alia absque periculi metu silentio praetereo, excogitare potest ratio, qua legum tam romanarum, quam ecclesiasticarum latores adducti certos formarent, exprimerentque casus, in quibus tantum, aliis prorsus exceptis, *clericu[m] tanquam fideiussores admittendi non forent.* Nec est quod, qui se mihi obiecit, STEPHANI gloriatur de insigni quadam patrocinio rationis in Nouella obuiae, ac hunc in modum sonantis, *quia clericu[m] diuinis officiis vacare continenter debeant, inidonei fideiussores sunt in diuerso genere occupationis.* Quod ea enim, quam etiam vrget praeter B. STRYCKIVM c) ὁ πάντα AVG. A LEYSR d) coloris aliquid det, quodque illi pondus non insit, sed labefactet potius viri beati senten-  
tiam, nemo non, obsecro, ignorat? Nam qui attenti allatam rationem ob oculos sibi ponunt: illi statim, si quidem sapiunt, intelligere debent, eam tangere non nisi negotiationes publicas. Si enim, teste TVLLIO, officium mercatoris non est officium apti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non boni viri, sed versuti, obscuri, astu-  
ti,

D 3

b) In *Comm. ad Nov.* et quidem  
*ad Nov. 123. Cap. VI.*c) In *Vſu Mod. Pand. Lib. XLVI.*

tit. I. §. III.

d) In *Med. ad Pand. Spec. DXXIII.*  
*med. IV.*

*ti, fallacis et callidi*: sane non est, qui mireris, et canis iamiam temporibus inualuisse regulam, *clericis* nefas esse, negotiatores, aut mercatores agere e). Hinc, nimirum, et ipsi canonies sacri *Clericis* interdicebant negotiations. Non alia, iurare ausim, caussa eorum latores inducti id sanciebant, quam quod viderint, nunc maculam *clericorum* dignitati inuri, si semet immiserent negotio non nisi in terreni aucupio consistente, nunc vero damnum, quo maius ne singi quidem posset, imminere ecclesiae, si *clericis* distringerentur negotiationibus, quae iam curas, iam vigilias, iam vero et pericula desiderarent. Quod vero non nisi ad istiusmodi negotio dicta Nouellae ratio pertineat, rem ita puto certam et evidenter esse, vt ea, quae pro certissimis habentur. Num vero eadem illa cum *fideiußionibus* congruat, et num adeo contendи possit, illa suffulciri thesin, *fideiußiones clericorum* generatim esse prohibitas, ipsi sententiae a mea diversae suffragatores videant? Ego certe, cur pretium ei hac in caussa statuerem, nihil caussae video. Alias enim esset, vt diceremus simul, nec valorem, roburue fortiri obligationem inde enatam, si pecuniam mutuam aut de-  
sissent, aut accepissent *Clerici*. Sed satis de huius oppositionis refutatione. Transeo ad alia argumenta, quibus, quam tuemur, opinionem pro viribus interuertere stuperficiem praeter HERINGIVM f) non pauci exquisitae cœ-  
tereo-

e) Distinguendum esse, opinor, inter negotiationem artificialem, qua merces emunt, conscientiue, ac iterum vendunt, ac oeconomicam rerum in *clericorum* praediis nascientium. Illa *clericis* interdictum est. X. de vita et honeste. *Clericorum*. Haec perimititur e.g. vini, frumenti, lanae, non vero panii inde confessi L. 3.

C. Theod. de Iustitiali collat. vid. praeceptor Celeb. GRASSII diss. de Clericor. negot. prohib. ZIEGLERVM de iure maiest. L.I. Cap. XLI. §. 13. Sic clericis venditionem per auersionem esse interdictam, pluribus docuit de LEYSER l.c. Spec. CLXXXIX. med. 7. f) l.c. Cap. VII. num. 249. sqq.

teroquin eruditionis doctores a LINKIO g) adducti. Ille enim, fideiussiones clericis esse interdictas, existimat, modo admitterentur limitationes, quarum in censum refert  
 I) Si contra clerici fideiubentis personam nil esset exceptum;  
 II) Si necessitas quaedam fideiussionis obligationem desideraret; III) Si clericus pro ecclesiae vtilitate fideiuberet; IV)  
 Si clerici lite pulsati pro se iniicem fideiubarent; V) Si maior pars capituli vel Abbas licentiam fideiubendi facerent;  
 VI) Si in rem suam fideiuberet clericus; tandem VII) Si Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Praepositi, Decani  
*Commendatores, Canonici regulares, Milites cruciferi, puta Teutonici, Iohannitici, Melitenses interponerent fideiussiones;*  
 Consentient fere eocum doctores, quorum inieci mentionem, in eo saltim discrepant, quod et id addant,  
*Clericos posse quidem fideiubere pro egenis et miserabilibus personis, non tamen per assiduas fideiussiones negotiis secularibus se immiscere, re a diuinis abstraberentur.* At quidnam hisce limitationibus velint aduersarii minus verecundi, non satis assequor. Nulla enim cum lege loquuntur, ingenio nimis indulgent; imo ingenio peruerunt legum sanctita. Hinc vero eo minus limites, quos ponunt doctores, admittere possumus; quo certius est, leges, paullo ante indicatas respicere, certas modo species, in quibus clerici a fideiussionibus interponendis abstinerent, et hinc, quum ad quamlibet aliam fideiussionis speciem ea extendi nequeant, limitationes sua destitui.

### §. XIII.

#### V) NOSTRA THESIS ET ICTORVM ET PRAEIVDICIORVM TESTIMONIIS ILLVSTRATVR.

Quam vero hisce paginis defendimus, thesis, si etiam auctoritate vti velimus, a probatissimis ICtis defenditur. Nihil igitur superest, nisi vt eos, qui forte sententiae meae diffisuri sint, obiecta horum auctoritate ad

partes

g) In Comm. ad decret. Lib. III. tit. XXIII. §. 2.

partes meas fortius nunc compellamus, nunc vero ex iis testimonia et illustrationis grafia et in fauorem illorum, qui rem quamvis non aequa lance, aut ex natura rerum et fine, sed ex auctoritatibus aliorum ponderant, excitemus. Ita vir illustris, cuius me doctrina non mediocriter commouere solet, IVST. HENN. BOEHMERVS a) ad mei sententiam animi differt generalem prohibitionem negandam esse, et leges in contrarium obmotas restringendas modo ad certos casus, et sic in regulam in contrarium formandas esse. Eadem sententiam defendit IOH. SITHMANNVS b), dum, clericos obligari, scribit, si fideiussores dati essent. Nec ab ea abludit B. IO. RVD. ENGAVIUS c) qui eandem cum WIESTNERO d) viam ingrediens contendit obligari clericos fideiubentes, si quasdam causas exceperis. Eadem doctrinam profitetur SCHEIDEWIN e), licet caeterum doceat, facile Clericos posse recusari tanquam inidoneos, et foro alieno subiectos. Sunt etiam non pauci, qui, quum prohibitiones in foris Protestantium exulare scribant tam, si clerici pro clericis, quam etiam pro aliis fideiubant, equidem haud ideo adscribi velint eis, qui mecum generalem non adesse prohibitionem autumant. Id vero ipsum defendi videmus a CONRADO RITTERVHSIO f), HERINGIO g) AD. LAVTERBACHIO h), et, cuius dissertationem i) intueri mihi non tam felici esse contingit KELIO. Quid? quod ipse HEN. LINCKIUS k) id et vel ea propter admitti posse, afferit, quia etiam de iure canonico non omnis fideiussio clericis interdicta esset. Vestigia huius preesse insistunt, praeter IOH. HENR. BERGERVM,

- a) l.c. §. III. et in diff. de Clerico Debitore Cap. III. §. VII.
- b) In diff. de fideiuss. et fideiussoribus n. 2.
- c) In Elem. Iur. Can. Lib. II. tit. XXXVII. §. DLXXIV.
- d) In Inst. Iur. Can. L. III. tit. XXII. §. II. s/q.
- e) Ad §. fin. I. de fideiuss. n. 2.
- f) In different. iur. civ. et can. Lib. VII. Cap. 13.
- g) l.c. Cap. VII. n. 261.
- h) In Comp. iur. p. 633.
- i) De Fideiussione Cleric. protest. pro laicis.
- k) l.c.

RVM I), viri ad iuuandam iusisprudentiam nati et B. LVDO-  
VICI m), et LVD. MENKENIVS n). Temperare mihi nequeo,  
quin et vel addam, in aliquibus locis fideiubendi facult-  
atem non simpliciter impeditam, sed tamen ad certam sum-  
mam esse restrictam o). Quibus statim subiungere possu-  
mus, et praeiudicia, e quibus pauca, fidei testificandae  
caussa, attulisse satis erit. Isthuc nempe referendum, quod  
Collegium ICtorum Lipsiense fideiussionem clericorum obli-  
gatoriam agnouerit p). Nec alia ratione haud ita pridem  
iudicatum esse, nouimus, in incluto nostro ICtorum col-  
legio, quod fideiussionem a clericis interpositam validam  
declaravit. Siue igitur leges ipsas intueamur; siue consi-  
deremus doctorum et explicaciones, et sententias legum  
sanctionibus accommodatas: quid impedit, quo minus  
illorum, qui secus sentiunt, opiniones, aut ex legibus  
male intellectis, aut falsae interpretationis vitio corruptis,  
ortas esse suspicemur?

## §. XIV.

VI) ARGVMENTO A IVRE OBSTAGII, CVI CLERICI  
SVNT OBSTRICTI, THESIS NOSTRA ROBO-  
RATVR.

Habes itaque et aliorum cordatiorum ICtorum op-  
niones, quibus, vti opinor, dissentientium argumentis  
facile occurri potest. Non quidem noui quid me inuenisse  
iaclo,

l) In Oecon. Iur. L. III. tit. 3. §. 8.

m) In doctrina Pand. tit. de fi-  
deiuss. §. 6.n) In System. Iur. Civ. ad Pand.  
tit. de fideiuss. §. V. p. 759. edi-  
tion, quam debeimus celeb.

CHRISTIANO SCHOEN.

o) v. BE SOLDI Thesaur. praef.  
voc. Schadloß-Bürge in edit.  
Dietherri.

p) l. antea cit.

## XXXIV DE CLERICO FIDEIVSSORE

iaſto, ſed planius tantum de mea voluntate conſtare cu-  
pio. Caeterum alia et non pauca, et ponderoſa, adhuc  
conquaſſare queunt ſecus ſentientium vincendi ſpem. At-  
que primo quidem, hoc longe veriſſimum mihi dari con-  
cedique poſtulo, *clericum* fulcipere poſſe obligationem ad  
obſtagium, Germanis propriam, qua vel fe iſpum ob-  
ſtringunt debitores, vel etiam ſuos, vt, nomine ante cer-  
tum diem non expuncto interpellati ingrederentur diuer-  
ſorium publicum, neque prius inde exirent, quam credi-  
tori ſatisfieſſent. At quum conuentio ſub iure obſta-  
gii debitoribus nunc moleſtias crearet, nunc vero et cre-  
ditores parum iuuaret, quumque adeo legibus imperii  
subinde eſſet damnata: inanis foret et ſuperuacua obſer-  
uatio, ſi pluribus *Lectorem* docere veleſem, *clericorum* obli-  
gationem ſub iure obſtagii non niſi iis in terris ſortiri eſſe-  
tum, quibus ius obſtagii adhuc eſt ſupertes. Dubio pro-  
cul male me ſentire, dices, et vrgebis, an et talibus in ter-  
ris valida ſit *clericorum* obligatio ſub lege obſtagii? non  
aeque apertum, non ita maniſtum eſſe. Siue enim iſpum  
*clericorum* ministerium conſideramus, omittendum ab iis,  
quando ſe ſiſtere debent; ſiue ſcandalum reputamus, quod  
*clericus* in obſtagio conſtitutus praebet: certe id, ex tua  
mente, inde ſequitur, quod iuri obſtagii omnis vigor ra-  
tione *clericorum* fit eximendus. At hac tua philoſophia  
non putrida, ſed digna quae eſt reſutatione, non commo-  
ueor, ut mentem meam illico mutem. Omne enim funda-  
mentum de personis, quae ſub lege obſtagii ſe obſtringere  
queunt, hocce principio dilucidiori, quam vt contra po-  
litis argumentis eneruari poſſit, nititur: omnes personas  
obligationem ſub iure obſtagii contrahere poſſe, ſi non  
prohibeantur natura, lege, moribus a). Tantum vero  
abeft,

a) Id pluribus docuerunt et CHRISTOPH. PHIL. RICH-  
TER

abest, ut clericci tanquam personae, quae, eiusmodi contentionem inire, prohiberentur natura, lege, moribus, videri haberique possint, ut potius contra putasse credendum sit. Qui enim perpendit, clericos in celebrandis contractibus consensum adhibere posse, is sane ridebit eum, qui contenderet, clericos natura prohiberi eiusmodi contractum celebrandi. Quod vero iisdem neque leges neque mores obstant, ut conuentione sub iure obstagii ineant, et vel ex testimonio CHRISTOPH. HEN. AMTHORIS b) liquet, qui, in Hol-satiae nostra, ait, clericos pariter ac laicos obstagialem clausulam contractibus quotidie adiicere, sine qua fidem vix semper essent inuenturi. Haec tenus ille. Pulchre, ut opinor. Quid vero? annon igitur clericorum religionem Diui LVTHERI conatibus repurgatam profitentium conuentione sub iure obstagii initam tanquam irritam repudiemus? annon clericum dogmata ecclesiae Romanae docentem iure obstagii non teneri contendamus? Minime. Eo enim firmiori iuris obstagii vinculo hic obstrictus tenebitur; quo magis canonum fide nouimus, dicti iuris vestigia iamiam in iuris pontificii compilatione occurere. Si id vero non aliunde nosceremus, quam e casu, cuius mentionem ALEXANDER III. iniicit, c) et quo consuetudinem inoleuisse edocemur, ut Abbas quosdam et monachis obssides dederit, qui de obseruanda conuentione iurauerunt, utque, si ipsi deficerent, alii monachi loco eorum in obstagio ponerentur: certe inde veritas theseos nostrae radiis sat lucidis eluceret. Si itaque clerici conuentio-

E 2 nem

TER in diff. de obstagio §. XX.  
et ORTOLPHIVS FOMANNVS de Obstagio §. X.  
b) In tr. iurid. de obstagio p. 87.  
sq. Adde, si placet IOH.  
SCHILTERI comm. de iure

obsidum C. III. n. 4. adiectam  
EIVSDEM Praxi iur. rom.  
in foro germ. p. 70. edit., quae  
prodiit An. M.D.CC.XIII.

c) c. IX, X, de iure iur.

## XXXVI DE CLERICO FIDEIUSSORE

nem sub iure obstagii celebrare queunt, non errare illi mihi met videntur, qui eorum fideiussionem, indemnitasque cautionem admittendam esse putant. Arque ut sic statuam, me cum primis mouet modus obligacionis sub obstagio adeo seuerus, ut, qui illo se adstrinxit, ipsum corpus suum obligasse censatur, neque prius e loco conuento possit exire, quam creditori ex assi satisfecerit. At, qua pro aliis fidem interponunt, conuentione non tantis premi difficultatibus, qui quis et vel me non monente intelliget, quamquam non in dubium vocauerim, et ipsas sacras pandectas docere usum fideiussionum in re publica valde esse periculosem. c) Quare scire iam cuperem, qua probabilitate, quo iuris praesidio, asseri possit, clericum submouendum esse ab interponendis fideiussionibus, arduo quippe negotio, quam is tamen conuentione sub iure obstagii suscipere queat, quod tamen negotium, dici vix potest, quantis periculis, quantis difficultatibus, quanto rigore superet fideiussionis contractum aequa ac cautionem indemnitas. Ita autem vereor, ne, qui allatis contra validam clericorum fideiussionem rationibus vistoriam paratam sibi persigadent, spe defraudentur.

### §. XV.

#### VII ARGUMENTO A IURIS CAMBIALIS RIGORE, CVI CLERICI SVNT OBNOXII, SENTENTIA NOSTRA STABILITVR.

Mihi vero in hac iuris tam seueri contemplatione occupato se alia tandem offert argumentandi ratio, a maiori nempe ad minus, quam in medium iam prolaturus

c) PROV. Cap. XX. v. 16. et XXVII. v. 13.

turus ero. Non heri demum, aut nudius tertius quaestio sat ardua in foris agitari coepit, an *clericis* collybisticam negotiationem exercere, adeoque litteris cambii obligari possent? Negotiationem illam cambialem proprie ad mercatores pertinere, dubio caret, eaque propter tam rigidam istius obligationis persequutionem esse inuentam, ut negotiatores tanto tutius fidem sequi possent. Quum ista autem obligatio eum fortiri soleat effectum, ut, si quis super debito litteras cambiales exhibuerit, is in casum non factae solutionis ad carceres aequse obliget, quam renuntiet beneficio competentiae et cessionis bonorum: certe inde sequi videtur, quod tam illud, qui non habet in aere, luat in corpore, in *clericorum* debitis exulet, quam quod cambia in *clericis* vigorem non obtineant, maxime quum ne quidem, e doctorum sententia, beneficio competentiae renuntiare, aut pro debito ciuiili se in casum non soluti debiti ad carceres pacto se obligare queant. a) Sed unde haec sequela probabitur? Nisi nimis mihi assentior, alia incendendum est via, starnendumque, *clericis* immunitatem ab obligatione cambiorum non esse tribuendam, modo leges particulares eam illis non indulgeant. Etenim ius pontificium ordinis *clericorum* nostratum neque conuenit, neque vlla exstat lex, qua speciatim cambiorum usus aduersus *clericos* interdicatur. Quid? quod, eosdem certo modo negotiari posse, ambigit nemo. In quantum igitur negotia iis sunt permissa, in tantum et cambio etiam queunt obligari b). Quod vero, vii docuit pragmaticorum l*Ctorum* sua aetate princeps i o H. HENR. DE BERGER C), ita est capendum, ut *clericis* in *foro priuilegiato*, atque adeo coram consistoriis ecclesiasticis

a) c. 3. X. de solution.

b) v. RIVINI diff. de Clerico c) In Elect. Process. Execut. §. L.

XXXVIII DE CLERICO FIDEIVSSORE MELETEMA.

cis conueniri debeant, quum ibi etiam aduersus eos arre-  
stum personale et decerni, et executioni mandari queat.  
Idque eo praecedit, etiamsi clericus speciatim se extra do-  
micum certo loco, quiçquid e cambio debet, soluturum  
pepigerit. Quae quum ita sit, quid impedit, quo mi-  
nus a maiori ad minus argumentemur, concludamus  
que, nihil obstare, quo minus fideiubendo se valide obli-  
gare queant Clerici. Quin ex illo ipso germano scyti-  
coque bono d), puta libertate supereft haud dubie, vt  
multarum vrbium statuta pristino iuri insistentia cleri-  
cos fideiussionum vinculo teneri iubeant. Atque haec  
exposuisse sufficient. Interim secus sentientibus, aduer-  
sariis, inuidiae

Cedamus. Leue fit, quod bene fertur onus.

d) Ita libertatem Germanorum  
vocat LVCANVS Phassal.

L. VII. v. 435.



X2369295

nc

Kd.1070





37  
DE  
**CLERICO FIDEIVSSORE** 3,90.  
MELETEMA 565

ILLVSTRI GENEROSISSIMO  
CONSVLTISSIMO  
**CAROLO HENRICO**  
**DE BERNSTORFF**  
EQVTI MEGAPOLITANO

QVVM  
DIGNITATEM CONSILIARIII IN REGIMINE  
PRINCIPATVS BLANCKENBURGICÆ

CAPESSERET  
PIETATIS OBSERVANTIAE QVE CAVSSA  
DEDICATVM

*Hd 1070* A  
**D. ALB. PHILIPPO FRICKIO**

FACVLT. IVRID. HELMST. ADIVNCTO

HELMSTADII  
LITTERIS BRIMBORNIANIS  
MDCCLX.

